

Q. 2. Bulbosam aggregatam quo modo distinguis a Radice tuberosa in genere?

Q. 3. Bulbosam solidam radicem quam dicis?

Q. 4. Bulbosam duplicatam quo modo distinguis a tuberosa sessili radice?

Quodsi putes haec esse leuissima, en facillimam probationem contrarii; quo modo alias, si strictae forent vocum determinationes. Tournef. Radicem Orchidis posset vocare carnosam, quam Tu dicis bulbosam duplicatam; quo modo contingere posset, si claram rei ideam haberent, eiusmodi ridiculas ut darent definitiones, quarum specimina admireris mecum ex Professore:

Si radices *bulbi* speciem referunt, dicuntur *Bulbosae*.

An quis iam scit, quid sit radix bulbosa.

Si Bulbi in *Tubera maiora* colliguntur, radicibus fere lignosis adpensa, tum vocantur *Tuberosae*. An hoc est incognitum ex magis notis determinare?

Q. 5. Quid illud est situ alternare et opponi, quo caractere (per F. B. 86) corollam a perianthio dignoscere queo¹.

Q. 6. Cur id (F. B. 124) opponitur; prolificatio florum simplicium *ex pistillo*, aggregatorum vero *e Receptaculo* fit; Annon et in aggregatis pistillum absoluit prolificationem?

α. *Acetosam* vulgarem, quantum potui examinaui, vidi perianthium trifidum reflexum, Corollam 3petalam, post illa vidi pallulas, quarum centra erant rubra, radii vero albicantes, et eiusmodi tres, quas quia semini adfixa vidi, concludebam esse pistilla, sed nulla inueni stamina; utinam viderem marem.

β. In *Lamio* labium inferius trifidum non video, annon id quoque serratum est; Sed quid id in collo tubi cylindrici interius \heartsuit circa *a* non cohaeret, ubi arcte amplectitur stilus, et exterius conspicio lineam introtrusam \vee , quae nota intropressionis in spina dorsi non est, sub qua interius latet stilus.

γ. In *Cypero* vidi feminas, sed quo modo ibi fit fecundatio. dum stili extra spicam propendent cum stigmatibus

δ. In *Ornithogalo* ea fulcra vaga cur dicis, cur non spathas, nonne sunt calicis membranacei species, quia a latere secundum longitudinem dehiscunt. (per defin. Spathae ex M. C. p. 10)².

Ne vero prima vice nimis abutar Tua patientia, exspectabo Tua responsa, quae tempori vt parcas, tantum notes ad quaest. n. 1. 2., vel ad *α. β.* Simulque exspecto, quam rogo humanissime, veniam, vt ad minimum omni triduo Tibi meis quaestionibus molestum me esse patiaris. Quod ad nouam editionem Tab. tuae de Regno Vegetab. attinet, cum